Werk

Titel: Varia

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1870

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0004|log31

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

VARIA.

XI. Plinius Nat. hist. II § 5 eos vituperat qui praeter hunc mundum alios esse tradiderunt: *furor est, profecto furor, egredi ex eo et tamquam interna eius cuncta plane iam nota sint ita scrutari extera: quasi vero mensuram ullius rei possit agere qui sui nesciat aut meror hominis videre quae mundus ipse non capiat.* quod plerique libri habent *miror homines* et emendandi quandam voluntatem prodit et non minus quam illud absurdum est. neque *videre* ferri potest: nam haec esse debet sententia, non posse hominis animo conprehendi quae mundus ipse non capiat. qua sententia non perspecta factum est ut valde inepta proferrentur. scribimus *quasi vero mensuram ullius rei possit agere qui sui nesciat aut* in cor *hominis* cadere *quae mundus ipse non capiat.*

Idem eodem libro § 20 *vix prope est iudicare utrum magis conducat generi humano, quando aliis nullus est deorum respectus, aliis pudendus.* immo *vix* probe *est iudicare.*

Eodem libro § 154 terra dicitur *etiam monimenta ac titulos gerens nomenque prorogans nostrum et memoriam extendens contra brevitatem aevi.* non puto *contra* hic dici potuisse, sed scribendum esse *ultra.*

XII. Horatio Carm. I 25 redditum tandem est quod scripsit

Parcius iunctas quatiunt fenestras
iactibus crebris iuvenes protervi
nec tibi somnos adiment amatque
ianua limen.

nam *iactibus*, non *ictibus*, in libris suis praeter Divaei omnibus se legisse testatur Cruquius, in Leidensi Graeviano Reginensi Bentleius: accedunt alii libri et quod Porphyrio adscripsit suumque fecit Acron, *iuvenes, qui olim frequentius fenestras tuas lapidibus incesse-*

bant ut excitata somno ianuas aperires, iam te neglegere incipiunt et idcirco haec rarius faciunt. mirum est Bentleium vocis tam aptae tamque testatae veritatem non adgnovisse, neque minus mirum non restituisse eum eandem vocem in versibus Claudiani quos propter inanem quandam Nicolai Heinsii opinionem adfert. dicit Claudianus in Eutropium I 90 *haud aliter iuvenum flammis Ephyreia Lais E gemino ditata mari, cum serta refutat Canities, iam turba procax noctisque recedit Ambitus et raro pulsatur ianua tactu Seque reformidat speculo damnare senectus, Stat tamen atque alias succingit lena ministras Dilectumque semel quamvis longaeva lupanar Circuit et retinent mores quod perdidit aetas.* scribendum est *et raro pulsatur ianua iactu:* nam *tactu* misere languet, obversatum autem esse Claudiano Horatii carmen vix potest dubitari. et attulit Burmannus *iactu* ex libro Vossiano.

XIII. Seneca Ep. 113 16 *nullum animal alteri par est. circumspice omnium corpora, nulli non et color proprius est et figura sua et magnitudo. inter cetera propter quae mirabile divini artificis ingenium est hoc quoque existimo quod in tanta copia rerum numquam in idem incidit. etiam quae similia videntur cum contuleris diversa sunt. tot fecit genera foliorum, nullum non sua proprietate signatum; tot animalia, nullius magnitudo cum altero convenit, utique aliquid interest.* solam magnitudinem animalium non posse conmemorari manifestum est. verum de imaginis vocabulo non debebat cogitare Lipsius et post eum alii. nam neque pro forma aut figura dici potuit imago neque Seneca si figuram conmemorare voluisset colorem et magnitudinem omisisset. sed ita antea locutus est, hic dixit *tot animalia,* nulli *cum altero convenit.* postquam perperam scriptum est *nullius* accessit absurdum illud *magnitudo.*

Idem Seneca de beneficiis I 9 3 *rusticus inhumanus ac mali moris et inter matronas abominanda condicio est si quis coniugem suam in sella prostare vetuit et vulgo admissis inspectoribus vehi perspicuam undique.* in libro Nazariano a prima manu scriptum est *abominanda conditio,* altera inde fecit *abominandae condicionis.* quod qui scripsit in mutata orationis forma iure haesit, probabilem sententiam non effecit. neque Bentleius recte putavit non nulla excidisse. scripsit enim Seneca *rusticus inhumanus ac mali moris et inter matronas* abominandus convicio *est.* quadrat quod statim additur *si quis nulla se amica fecit insignem nec alienae uxori annuum praestat, hunc matronae humilem et sordidae libidinis et ancillariolum vocant.* solent

hodie quidam elegantiores scribere *convitium*, neque defuerunt qui hanc formam quasi prisca esset explicarent praesenti semper artificio. verum in *ci* et *ti* syllabis quas vocalis sequitur nulla est librorum saeculo septimo Christiano non antiquiorum auctoritas, magna autem et certa vetustiorum, exceptis paucissimis vocibus, ad quas *convicium* non magis pertinet quam *suspicio*. in convicii autem vocabulo non tantum antiquissimorum exemplarium fides, veluti Gaii Veronensis III 220. 222 et Digestorum Florentinorum, sed etiam vetustae interpretationes non erant neglegendae. Paulus ex Festo *convicium a vicis, in quibus prius habitatum est, videtur dictum, vel immutata littera quasi convocium.* Ulpianus libro LVII ad Edictum Dig. XLVII 13 15 *convicium iniuriam esse Labeo ait. convicium autem dicitur vel a concitatione vel a conventu, hoc est a collatione, vocum: cum enim in unum complures voces conferuntur convicium appellatur, quasi convocium.* Nonius p. 64 *convicium dictum est quasi e vicis iocum, qui secundum ignobilitatem loci maledictis et dictis turpibus cavilletur.* neque de vicis neque de vocibus quisquam cogitasset in vocabulo quod *t* habebat.

XIV. Significavi in suspicionis vocabulo *c* litteram certa vetustissimorum librorum auctoritate confirmari. id nunc paullo expressius volo demonstrare, si forte corrigere possim eorum sententiam quibus doctrina nostra aetate temere repetita tanto placet opere ut tum mirifice sperent sese esse locutos cum quantum poterant suspitionem dixerunt, ignorantes illi aut spernentes constantem consuetudinem membranarum illis libris quorum nimia veneratio errorem peperit aliquot saeculorum antiquitate antecedentium. ac primum quidem subit mirari cur in Plautinis fabulis in illo vocabulo plus fidei habeatur Camerarii libris, quorum ne constans quidem consuetudo est, quam Ambrosiano. scriptum est autem in eo libro *suspicio* Pseud. I 5 149, Trin. I 2 45, *suspicionem* Trin. I 2 42. non discrepant ab Ambrosiano libro Ciceronianarum orationum schedae palimpsestae, sed scriptum est *suspicio* in Scauriana § 6. 11. 12. 14. 31, *suspicione* § 15, *suspeicio* in Fonteiana § 5: nihilo tamen minus contempta antiquissima scripturae memoria nuper adscita est forma novicia et falsa. *suspicionem* scriptum est in Scholiis Bobiensibus p. 293 32 Or. possum multa addere: sed non opus est enumerare exempla, cum adseverare possim in omnibus quorum notitia habetur libris saeculo septimo antiquioribus suspicionis vocabulum ita semper scriptum esse ut *c* habeat. saepe legitur id vocabulum in Di-

gestis Iustiniani scriptaque est in libro Florentino *c* littera sine ulla exceptione. parendum est igitur libris veteribus neque ut *i* productum explicetur ad recentius pronuntiandi scribendique vitium fictamque inscite suspicitionis vocem aberrandum.

XV. Miro sive iudicio sive neglectu in personarum Eunuchi Terentianae tabula servatur *Laches senex* idemque nomen in actus quinti scaena quinta eis adscribitur quae is senex loquitur. atqui Donatus in initio scaenae illius *adnotandum* inquit *quod huius senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur.* neque in argumento fabulae nomen Lachetis memoratur, sed pars eius illa continere dicitur *perturbationem Parmenonis per dolum Pythiae atque eius indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias.* adparet nomen illud Lachetis additum esse post Donati tempora. quod factum est temere atque inscite. ineptum est enim nomina fingere personarum quae in ipsis fabulis numquam pronuntiantur. quapropter in Plauti Milite glorioso aut delendum erat adnotatum nomen Lucrionis aut adgnoscendum alicubi in ipsius fabulae versibus. dixi alias, nec muto sententiam, recte scripsisse Gronovium III 2 29 *si falsa dices, Lucrio, excruciabere.* adpellativum *lucrio,* quod Paulus habet in *Cercopa,* a lucrando deductum est neque aliter explicandum esse videtur proprium nomen. sed ipso nomine proprio et conpellatione hiatus excusatur. Laches autem ille senex sumptus est ex Hecyra.

XVI. Cicero de re publica I § 56 haec dicit de Iove, *quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique pariter consentiunt.* ita Halmius scripsit Orellii coniecturam secutus, quae multo praestat aliorum commentis habetque sane aliquid praesidii in Lactantii verbis Inst. I 11, *regnare in caelo Iovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est.* mirum tamen est in membranis Bobiensibus longe aliud legi et in quo haud facile credas *pariter* latere. habent enim *omnesdoctiqueexpoliriconsentiunt,* ad has autem litteras *doct* supra adscriptum est omissum antea a librario *doctiin.* itaque perspicuum est in archetypo recte scriptum fuisse *omnes docti indoctique:* sed *expoliri* neque deleri potest, cum non intellegatur quomodo accesserit (inania enim loquitur Heinrichius), neque credibile est neglegentia aliqua oculorumque errore factum esse ex *pariter.* mihi videtur in *expoliri* latere *ex parili* idque substitutum fuisse ei verbo quod Cicero scripserat, nimirum *pariter.* nam ipse sane Cicero non dixit *ex parili.* neque enim usus est hoc ad-

iectivo nisi in versu Arateorum, *consimili specie stellas parilique nitore*, neque *ex* praepositionem cum neutris adiectivis ita coniunxit ut adverbiorum notiones efficeret diceretque ut postea alii *ex pari* vel *ex aequo*. etiam hoc satis mirum videri potest, scripsisse illum librarium *ex parili* cum deberet *pariter*: sed reputabimus non raro synonyma substitui synonymis. *parile* in eis scriptis quae nos habemus satis rarum est, *pariliter* paene inauditum, cum frequentissimum sit *pariter*: tamen Charisius p. 191 P. *pariter* inquit *pro pariliter Cicero, ut Maximus notat.* potest etiam *ex parili* aliquo Latini sermonis tempore tam usitatum fuisse ut *pariter* Tulliani locum ultro obtineret: similis enim loquendi usus paullatim valde increbruit. ut *pariter* explicaret Nonius p. 374 *ex aequo* adscripsit.

Qui Tulliani operis reliquias collegerunt non neglexerunt quod Augustinus habet contra Iulianum IV 12, *in libro tertio de re publica Tullius hominem dicit non ut a matre sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo fragili et infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.* conspirant partim quae Lactantius de opificio dei c. 3 habet. addo simillima esse quae Ambrosius dicit de excessu Satyri II 27, *quid enim nobis miserius, qui tamquam spoliati et nudi proicimur in hanc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxii ad sollicitudines, desidiosi ad labores, proni ad voluptates.*

XVII. P. Annius Florus p. 106 16 Halmii *quae cum me videret verecunde adgnoscentem, in amplexum effunditur et 'ama' inquit 'igitur fautorem tuum.' 'quidni amem?' et manu alterutrum tenentes avidissime nascentem amicitiam foederabamus.* scribe *alter alterum.*

P. 107 36. *et ecce iam familiaritate continua civitas nobis ipsa blanditur, quae, si quid credis mihi qui multa vidi, omnium earum quae ad quietem eliguntur gratissima est.* recte Mommsenus *omnium rerum* in *omnium earum* mutavit: superest ut *multa* mutemus *in multas.*

P. 108 14. *'o' inquit 'beatam civitatem, quae in te fatigatum incidit. quemadmodum tamen te prosequitur et quid hic agitur? unde subvenit reditus? an pater ab Africa subministrat?' 'unde nequaquam, cum hac ipsa peregrinatione offenderim.'* ita codex. simplissimum est alterum *unde,* utpote ex priore versu male repetitum, delere et scribere *'nequaquam,* quem *hac ipsa peregrinatione offenderim.'* scribi posse *quem* etiam Ritschelius vidit.

P. 108 29. Florus pulchritudinem suscepti operis, id est professionis quam dicit litterarum, ita laudibus extollit, *scire te ergo nunc oportet nullum magis predium, nullam procurationem, nullum honorem decerni quantus hic sit nostrae professionis.* quod codex habet *magis predium* mutarunt in *maius praedium.* atqui Florus non de lucro et mercede professionis loquitur, sed de dignitate eius atque honore idque persequitur deinde amplius. itaque cum procuratione et honore pessime coniungitur praedium. tum valde inepte id praedium dicitur maius. scribendum est certissima emendatione *nullum magisterium.* iustam sic habemus gradationem.

XVIII. Ausonius in Gratiarum actione p. 706 Tollii *fecisti autem et facies alios quoque consules, piissime Gratiane, sed non et causa pari. viros gloriae militaris: habent enim tecum ut semper laboris ita dignitatis plerumque consortium, virtutis quam honoris antiquiore collegio. viros nobilitatis antiquae: dantur enim multa nominibus et est Roma pro merito.* iure negavit Gronovius urbis nomen aptum esse sententiae, sed frustra quaesivit quod et aptius esset et mutatione veri simili restitueretur. mihi non dubium est scribendum esse *dantur enim multa nominibus et est* stemma *pro merito.*

P. 731 de condonatis a Gratiano residuis tributorum haec dicuntur, *tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iussisti. videre in suis quaeque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii. ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. iam se cum pulvere favilla miscuerat, iam nubibus fumus involverat, et adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum et sestertiorum notas cum iuvantia de ratione cernebant, quod meminerant lectum legi posse etiam verentes.* pro monstroso illo *cum iuvantia* Tollius ex codice aliquo adfert *coniuvantia*, ex alio *cum* XXX, quod ex *cum triginta* natum esse intellexit, neque tamen quicquam id prodest. nondum haec emendata sunt, quamquam Scaliger aliquid dispexit cum scriberet *cum titubantia et trepidatione.* sed titubantiae vocabulum ut fortasse placeat (usi eo sunt Suetonius in Claudio c. 30 et in Vitellio c. 6 atque Iulius Valerius in Rebus gestis Alexandri I 25), at reliquorum nimia est mutatio. litteras cum paullo curiosius rimamur haec ex eis elicere nobis videmur, *ductus apicum et sestertiorum notas cum* titubanti adoratione *cernebant.* admirabantur debitores residuorum atque adorabant beneficium Gratiani, sed titubabat adhuc eorum animus neque satis sibi esse videbantur tuti. in verbum

quod est *adoratione* video iam incidisse Herelium in Ep. crit. ad Meuselium p. 61.

XIX. Eumenius in oratione pro instaurandis scholis c. 17 *et-enim si bello parta Marti dicantur, si mari quaesita Neptuno, si messes Cereri, si Mercurio lucra libantur, si item rerum omnium ad cultum referuntur auctorum, ubi fas est docendi praemia consecrare nisi in sede docendi*? ita postremum verbum scribendum esse Acidalius intellexit: erat *dicendi.* sed inperfecta est oratio ubi legitur *rerum omnium*, nihil autem homines docti protulerunt quo operae pretium facerent. scribendum videtur *si Mercurio* mercaturae *lucra libantur, si item rerum omnium ad cultum referuntur auctorum.* facili errore omitti potuit *mercaturae*, quo restituto *rerum omnium* pariter ad *lucra* pertinet.

In panegyrico qui Constantio Caesari dictus est (tribuunt eum dubio iure eidem Eumenio) c. 14 scribendum est *prior siquidem a Gesoriacensi litore quamvis fervidum invectus Oceanum etiam illi exercitui tuo quem* Sequana amnis *invexerat irrevocabilem iniecisti mentis ardorem.* nam hoc ipsum *Sequana amnis* non tam latet quam perspicuum est in illo *Sequanam nisi* quod Livineius ex libro Bertiniano attulit. inde in aliis libris factum est *in Sequanam vis* vel *vi*, in aliis magis etiam temere *Sequanam fluctus* vel *Sequanae fluctus.*

Eumenius in gratiarum actione Constantino Augusto dicta c. 7 ita scripsit, ut mihi quidem videtur, *nam quid ego de ceteris civitatibus illius regionis loquar, quibus illacrimasse te ipse confessus es? vidisti enim non ut per agros aliarum urbium omnia fere culta* uberta *florentia, vias faciles, navigera flumina ipsas oppidorum portas adluentia, sed statim ab eo flexu e quo retrorsum via ducit in Belgicam vasta omnia, inculta squalentia muta tenebrosa, etiam* militares vias ita confragosas *et alternis montibus* arduas *atque praecipites ut vix semiplena carpenta, interdum vacua, transmittant: ex quo saepe accidit ut obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit evectio quam ceteris plurimarum. quo magis, imperator, pietati tuae gratias agimus, qui cum scires* internum *regionum nostrarum* habitum *atque adspectum tam foedum tamque asperum, tamen illo deflectere et urbem illam sola opis tuae expectatione viventem illustrare dignatus es.* in *uberta* mutavi *aperta* quod libri habent: nam id dici hic non potuit, nedum interiectum inter *culta* et *florentia.* dixerunt *ubertum* Gellius VI 14 7 et interpolator Solini p. 111 17 Momms. et est in Onomastico *hubertus γόνιμος*, ubertandi verbo utitur Eumenius

postea c. 9. deinde libri habent *militaris via sit ac confragosa*, tum *ardua atque praeceps* aut, quod partim temere fictum, partim verum est, *ardui aditus atque praecipites*, tum alii *transmittat*, alii recte *transmittant*. denique scriptum erat inepte *itinerum regionum nostrarum aditum*, quod recte emendasse mihi videor.

XX. In Mamertini iunioris panegyrico c. 1 scribendum est *nam cum me aerarium publicum curare voluisti, cum* quaerens *virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me, qui tibi viderer eiusmodi, delegisti, idque eo tempore quo exhaustae provinciae, partim depraedatione barbarica, partim non minus exitiabilibus quam pudendis praesidentium rapinis, ultro opem imperatoris exposcerent, milites saepe anteactis temporibus ludo habiti praesens stipendium flagitarent, quoquo modo videbar honorem onere pensare.* scriptum est in libris *quaereres* uniusque syllabae vitio tota orationis series ita rupta et confusa est ut Acidalius eam frustra studeret restituere neque magis alii quicquam proficerent.

Duobus mendis laborant quae in eadem oratione c. 11 scripta sunt, *neque enim ei parandae sunt picturatae marmorum crustae et solido auro tecta laquearia qui maiorem anni partem in nuda humo cubet et caelo tantum tegatur, neque turbae institutorum ad delicias ministrorum cui tam pauca sint ministranda, neque tempus epularum ei qui saepius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat, gaudens castrensi cibo, ministro obvio et poculo fortuito.* nihili est non parandum illud *tempus epularum.* scribendum est *sumptus epularum.* neque magis sententiae convenit *ministro obvio:* nam de ministris antea dictum est, hic inepta est eorum mentio. intellexit id Acidalius, sed minime fuit felix cum coniceret scribendum esse *canistro* vel *catino obvio.* scribendum potius est *ministerio obvio.* notum est *ministerium* id significare quod Galli similiter dicunt *service.* Paulus Rec. sent. III 6 86 *vasis argenteis legatis ea omnia continentur quae capacitati alicui parata sunt, et ideo tam potoria quam escaria, item ministeria omnia debebuntur, veluti urceoli paterae lances piperataria, cochlearia quoque itemque trullae scyphi et his similia.* eis quae lexica habent addo quod scriptum est in Historia Apollonii Tyrii, quem librum sexto post Christum saeculo lectitatum esse certo demonstrari potest, *Apollonius cunctis epulantibus non epulatur, sed aurum et argentum in ministerio regis diu flens intuebatur.*

XXI. Capitolinus in Gordiano tertio c. 25 epistulam habet Gordiani ad Timisitheum socerum scriptam, in qua praeter quaedam

depravatissima quae corrigere non possum aliud est quod emendasse mihi videor. *denique nunc demum intellego neque Felicionem praetorianis cohortibus praeponi debuisse neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse et, ut omnia dinumerarem, multa non esse facienda quae feci.* ineptum est et adfirmatione et verbi tempore *ut omnia dinumerarem:* sed arte atque probabilitate caret quod inde fecerunt *ne omnia dinumerem.* praeterea ferri non potest *esse facienda,* pro quo dici oportebat *fuisse.* ita potius, nisi fallor, haec scribenda sunt, *neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse et, ut omnia* dinumerare mittam, *non facienda quae feci.*

In Capitolini Maximo et Balbino c. 2 haec scripta sunt, *ego principes dico, vos firmate si placet, si minus, meliores ostendite: Maximum igitur atque Balbinum, quorum unus in re militari tantus est ut nobilitatem generis splendore virtutis ei lexerit, alter ita clarus nobilitate est ut et morum lenitate rei publicae* [*sit*] *necessarius et vitae sanctimonia, quam a prima aetate in studiis semper ac litteris tenuit.* fuisse Maximum genere valde ignobili ea docent quae Capitolinus c. 5 narrat, *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe, ut non nulli dicunt faber ferrarius, ut alii raedarius vehicularius fabricator,* ubi mira quaedam et fortasse minuenda sermonis abundantia est: Balbini nobilitatem Capitolinus c. 7 persequitur. itaque nobilitatem Maximo illic falso tribui intellexerunt Lipsius Casaubonus Salmasius alii, sed nemo probabili emendatione sententiam restituit monstrosumque illud *ei lexerit* correxit. mihi videtur scribendum esse *ut* vilitatem *generis splendore virtutis* evexerit, *alter* etc. *sit* quod seclusi delendum potius esse censeo quam, quod nuper factum est, in *est* mutandum.

XXII. Valerius Flaccus VII 355

cingitur inde sinus et, qua sibi fida magis vis
nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucaseum promit nutritaque gramina ponti
quae sacer ille nives inter tristesque pruinas
durat editque cruor cum viscere vultur adeso
tollitur e scopulis et rostro inrorat aperto:
idem nec longi languescit finibus aevi
inmortale virens, idem stat fulmina contra
sanguis et in mediis florescunt ignibus herbae.

versus quinque priores et triginta tres qui antecedunt desunt in libro Vaticano, cuius hic una scheda periit. in Monacensi libro, qui in vicem Vaticani succedit, versu quinto scriptum est *Dura tedique,* sed

supra *i* ab alia manu *t* additum. quae depravata sunt in his versibus frustra olim Heinsius corrigere studuit, nuper autem praeposteris opinionibus omnia magis etiam perturbata sunt. nam minime offendendum erat in eo quod poeta eandem herbam Prometheam et florem dicit et gramina, ut mox v. 449 *Titania gramina* adpellat: coniungit utrumque etiam cum dicit *in mediis florescunt ignibus herbae.* sed intellegi sane nequit *ponti* et quinti versus initium. ac prius quidem vitium tollere posse mihi videor emendatione veri simili, in altero tollendo si iusto audacior fuisse visus fuero non litigabo, neque coniecturae speciem conciliare volo depravationis gradatim factae demonstratione, sed illud tacere nolo, Valeriano carmini, quod passim misere adfectum est, subveniendum non numquam esse acrioribus remediis. scribendum igitur esse existimo

Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucaseis *promit nutritaque gramina* ventis
quae sacer ille nives inter tristesque pruinas
educat imbre *cruor.*

dixit Valerius VI 340 *Edonis nutritum missile ventis.* alia quae huc pertinent Bentleius ad Horatii Carm. I 22 18 adscripsit.

XXIII. Constat *ullius* et *ullo* saepius, non numquam etiam *ulli* ita dici ut eadem significent atque *ullius rei*, *ulla re*, *ulli rei*, pariterque *nullius* et *nullo* pro *nullius rei* et *nulla re.* non prorsus autem recte statuunt, hanc dicendi rationem illis casibus artissime contineri: nam eodem modo dicuntur etiam *ullum* et *nullum* ut *quicquam* et *nihil* significent, quamquam sane fit raro. Pomponius Aeditumo apud Nonium p. 75 *qui tibi postquam adpareo atque aeditumor in templo tuo Nec mortalis nec mortalium ullum in terra miseriust.* Fronto ad amicos I 8 p. 179 Nab. *nec ignoro nullum adhuc inter nos mutuo scribtitandi usum fuisse, quamquam ego te optimum virum bonarumque artium sectatorem communium amicorum fama cognossem et tu fortasse aliquid de me secundi rumoris acceperis: sed nullum pulchrius amicitiae copulandae reperire potui quam adulescentis optimi conciliandi tibi occasionem.* teneo igitur quod ante multos annos de verbis non nullis Frontini in praefatione de aquis dixi, sed ut grammaticam causam minus adcurate tractarem. scribo *primum ac potissimum existimo, sicut in ceteris negotiis institueram, nosse quod suscepi. neque enim ullum* homini satius *certius fundatius crediderim aut aliter quae facienda quaeque vitanda sint posse decerni.* habet enim liber Casinensis *ullū omīsactus certius fundatius* erratque

Buechelerus cum *fundatus* eum habere dicit: nam in imagine horum versuum quam Pòlenus dedit perspicue scriptum est *fundatius*, ita quidem ut *us* litterae uno ductu coniungantur. videtur autem *fundatius* multo periculosius mutari in *fundamentum* quam *omisactus* in *homini satius.*

XXIV. Tacitus in Dialogo c. 31 ut ostendat oratori artibus inplendum esse pectus neque posse fieri eloquentem sine philosophiae cognitione inter alia haec dicit, *dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucundidatem, ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere iisque prout res poscit uti alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civitatem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet.* postrema rectissime ita scripsit Bekkerus: neque enim dubitari potest a Lipsio *audire* iure mutatum esse in *haurire* neque quod libri habent *liberaliter* aliud aut plus recondit quam *libare.* fuerunt tamen qui in litterulis inhaerescentes meliora quaererent. alius scribere voluit *libare litteras* neque vidit post *artes* non concinne *litteras* addi. alius *libare obiter* protulit, similiter alius *libare leviter:* nimirum ita inculcandum erat non nimis studendum esse artibus. perversa est ista libido emendandi ea quae simplici et vero iudicio emendata sunt. sed nondum recte emendata sunt quae antea leguntur *neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civitatem.* habent pleraque apographa *civitatem*, optimum *citem*, in quo nescio utrum illud an aliud lateat, certum autem est ineptum esse *civitatem* neque minus ineptum *artem* quod in uno apographo est. frustra fuerunt etiam Doederlinus et Haasius, quorum ille *civem,* hic, lenius scilicet, *civem aliquem* scribendum esse putavit: atqui civis Stoicorum non minus absurde quam civitas conmemoratur. nihil hic dici potuit nisi sapiens Stoicorum, perfectus ille et in se totus teres atque rotundus. scripsit igitur Tacitus *neque enim sapientem informamus Stoicorum, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet.* cum autem *neque* ab aliquo librario temere iteratum esset, additum est nomen ex quo *Stoicorum* suspenderetur. quod nomen utrum *civitatem* fuerit an *artem* an denique aliud inutile est quaerere. potest autem fieri ut non neglegentia sed falsa opinione peccaverit librarius qui post *neque* alterum *neque* requireret.

XXV. Probus in Vergilii Georg. III 293 *Apollo autem dicitur musagetes quia musarum dux existimetur, ut Lutatius in primo Com-*

munis historiae ait, qui deorum curam egerat. qui *dux,* quod in scriptis libris omissum est, addiderunt debebant simul scribere *existimatur.* postrema verba ut leguntur non possunt intellegi, possunt autem sic scripta, *quod earum chorum regat.*

In mentem mihi hoc revocat quae Pausanias v 18 4 in descriptione arcae Cypseli habet, *πεποίηνται δὲ καὶ ᾄδουσαι μοῦσαι καὶ Ἀπόλλων ἐξάρχων τῆς ᾠδῆς, καί σφισιν ἐπίγραμμα γέγραπται,*

Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων,
μοῦσαι δ' ἀμφ' αὐτόν, χαρίεις χόρος, αἶσι κατάρχει.

nemo tam stultus esse potuit ut simulacri declarandi causa adscriberet hunc esse fortasse Apollinem, praesertim cum tam perspicuum esset operis argumentum. sed ridiculum illud *τάχα* nulla de qua persuasum mihi sit emendatione tollere possum. nam si ita scribimus,

Λατοΐδας οὗτός γε ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων,

orationem quidem habemus quae ferri possit (ut Heynius in alio eiusdem arcae versiculo quem Pausanias c. 19 4 adfert recte scripsisse videtur *Ἰφιδάμας οὗτος γε, Κόων περιμάρναται αὐτοῦ,* ubi in libris *οὗτός τε* est); tum illud efficimus ut non amplius elidatur vocalis ante *ἄναξ,* quod factum esse in tam vetusto epigrammate Corinthiaco non credibile est; denique paullulum speciei fortasse addere possis coniecturae si scripseris *οὗτός γα*: sed tamen ineptus essem si hanc putarem esse emendationem. quod frustra quaesivi invenient alii.

XXVI. In vetusto libro Salmasii qui nunc Parisiis inter codices Latinos numero est 10318 post excerpta ex libris Naturalis historiae Plinii XIX et XX, quorum finis periit, in scheda 273, ante quam quot interciderint dici non potest, legitur finis libelli cui subscriptum est *apulei platonice explicit de remediis salutaribus feliciter.* qui ista edidit Silligius Plinii tomo v p. XLI de mendis permultis unum tollere satis habuit: contempsit enim quas ineptias dicit. mihi regulae illae non ineptiores esse videntur multis aliis quae veteres medici reliquerunt praeceptis neque quicquam edendum puto nulla ut intellegi possit adhibita cura. adscribam igitur omnia ut emendanda erant, codicis menda a Silligio repetantur.

exordio pliadum dies XLIII. incipit tempus aestivum VIII kal. iulias. ipsa hora incrementum fellis admittitur, quod crescit in aequinoctium autumni. frigidis utere et dulcioribus et cunctis bene olentibus et minime ieiuna et consuetis veneriis in tantum abstine in dies XII.

aequinoctium autumni a. d. VIII *kal. octobres intenditur. ipsa hora vis nigri fellis augetur, umorum crassitudo consequitur in occasum pliadum. utere calidis et acerrimis omnibus et abstine Venere ac minimum labora. sunt autem dies* ‹XLVIII› *in occasum pliadum* IIII *idus novembres. eadem hora rursus hominibus sanguis increscit. convenit igitur edere leviora et indulgere vino, consuetis veneriis insistere. dies sunt in tempus hibernum* XLV. *ista utens ut missa a me scriptura demonstrat integra salute relicum tempus facile transiges sine auxilii latione medicorum.*

XXVII. Claudius Binetus ex libro ecclesiae Bellovacensis inter alia epigrammata quibus Petronii nomen inscriptum est hoc edidit, repetitum nuper a Buechelero p. 223,

Omnia quae miseras possunt finire querellas,
in promptu voluit candidus esse deus.
vile olus et duris haerentia mora rubetis
pugnantis stomachi composuere famem.
flumine vicino stultus sitit, effugit euro
cum calidus tepido consonat igne rogus.
lex armata sedet circum fera limina nuptae,
nil metuit licito fusa puella toro.
quod satiare potest dives natura ministrat,
quod docet infrenis gloria fine caret.

versu quarto Dousae scribendum videbatur *pungentis*. non puto dici stomachum pungere, ut sane stimulare fames dicitur: poterit autem, nimirum in epigrammate non optimo, ferri pugnans stomachus, quamquam multo rectius venter ab Horatio Serm. II 8 5 iratus dicitur, saeviens ab Apuleio Met. IV 7. versu ultimo *infrenis* scribendum esse vidit Binetus: in libro invenerat *inferius*. idem Binetus pulchre perspexit versu quinto *effugit* mutandum esse in *et riget*. euri frigus ita conmemoratur ut Vergilius Georg. II 339 dixit *hibernis parcebant flatibus euri*. sed mox *rogus* ineptus est. neque vero *focus*, quod Buechelero in mentem venit, quicquam prodest. nam cum hoc dicendum esset, sine sumptu famem sitim frigus depelli posse, non satis erat focum conmemorare, sed dicendus erat aut alienus aut publicus. constat autem homines pauperes ut frigus evitarent in sudatoria confugere solitos esse. Alciphro Ep. I 23 *ἐμοὶ δὲ οὔτε ξύλον οὔτε ἄσβολος παρῆν· πῶς γὰρ ἢ πόθεν; ὁ κρυμὸς δὲ εἰσεδύετο μέχρι μυελῶν αὐτῶν καὶ ὀστέων. ἐβουλευσάμην οὖν Ὀδύσσειον βούλευμα, δραμεῖν εἰς τοὺς θόλους ἢ τὰς καμίνους*

τῶν βαλανείων. ἀλλ' οὐδὲ ἐκεῖσε συνεχώρουν οἱ τῶν ὁμοτέχνων περὶ ταὐτὰ ἀλινδούμενοι· καὶ γὰρ αὐτοὺς ἡ παραπλησία θεὸς ἠνώχλει Πενία. plura quae huc pertinent Berglerus ibi dedit. itaque distichon illud sic mihi videtur esse emendandum,

flumine vicino stultus sitit et riget euro
cum calidus tepido consonat igne tholus.

de balneorum tholis, id est Laconicis sive sudatoriis, dictum est in Thesauro Stephani t. IV p. 398. addo quae Theodoretus Hist. eccl. IV 15 dicit, ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ ἔνδον ἐν τοῖς θόλοις πεποίηκε. λουομένῳ γὰρ αὐτῷ παρεστηκότας ἰδὼν συμμετασχεῖν τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐκέλευσεν. conmemorat tholos balnearum Ammianus Marcellinus XXVIII 4 9. Claudianus Idyllio VI 59 de fonte Aponi haec habet, *multifidas dispergit opes artemque secutus Qua iussere manus mobile torquet iter Et iunctos rapido pontes subtermeat aestu Adflatosque vago temperat igne tholos.* omitto alia. *consonat* non optime dictum est, sed intellegi potest neque volui quicquam temptare. scilicet carmen non melius faciendum est quam ipse poeta fecit. itaque adquiescemus etiam in octavo versu, ubi rectius amator quam puella nihil metuere diceretur.

XXVIII. Nullas fuisse C. Iulii Caesaris Ephemeridas a Commentariis diversas Nipperdeius initio Quaestionum Caesarianarum rectissime demonstravit idemque p. 35 docuit extremae antiquitatis scriptores Latinos Commentarios Caesaris Ephemeridem ut antea Plutarchum Ἐφημερίδας Appianumque ἰδίας ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων dixisse subscriptumque esse hoc nomen in optimis et antiquissimis exemplaribus in fine octo librorum de bello Gallico. habeo paullulum quod doctae disputationi addam. etenim Arator in Epistula ad Parthenium, qui eum olim Ravennae in studiis doctrinae adiuverat, haec dicit v. 39,

Caesaris historias ibi primum te duce legi,
quas ut ephemeridas condidit ipse sibi.

primus hoc Aratoris carmen ex libro Remensi Sirmondus edidit in fine operum Ennodii, in Aratore Arntzenii legitur p. 267 ss. Parthenium illum non diversum fuisse ab Ennodii ex sorore nepote Sirmondi in Notis ad Ennodium p. 29 probabilis est opinio.

XXIX. De exordiis orationum Catonianarum Iordanus p. XVI ea attulit quae Servius in Aen. VII 259 XI 301 narrat: omisit quod Symmachus dicit Ep. III 44, *an si nobis scribenda sit forensis oratio, Iovem deosque ceteros Catonis lege praefabimur, ne nobis vitio detur vel ne-*

glegentia antiquitatis vel inscitia? atqui praestat Tullium sequi, qui ignorata maioribus usurpat exordia. tetigerunt illum deos precandi morem Valerius Maximus in praefatione libri primi et Plinius Caecilius in exordio Panegyrici.

In Sermonum Augustino tributorum quos Angelus Maius in primo novae patrum bibliothecae tomo edidit XCIV c. 6 p. 454 haec scripta sunt, *denique, fratres mei, attendite quod dixit magnus ille Cato de feminis, 'si absque femina esset mundus, conversatio nostra absque diis non esset.'* rettulit haec Iordanus inter memorabilia dicta Catonis p. 111. et potest Cato similem sententiam protulisse, sed ipsis illis verbis non est usus. abhorret enim ab antiquo sermone *absque* ita dictum ut idem sit atque *sine*, neque conversationis vocabulum sic usurpatum est ut priscam loquendi consuetudinem referat: de qua voce non nulla habet Ruhnkenius in Velleii II 102. ista autem Catonis scilicet verba extant etiam in commentariis quibus Aegidius Maserius Argonautica Valerii Flacci explicare studuit: qui commentarii cum carmine Valerii Parisiis anno MDXVII et MDCXIX editi sunt. nam cum apud Valerium II 156 Fama adsumpta forma Neaerae haec dicat, *scis simile ut flammis simus genus: adde cruentis Quod patrium saevire Dahis* (*dabis* habet exemplar Parisinum), Maserius, ut saepius ineptit, ita debacchatur p. XXVI[a], *est sane mulier flamma cruenta, scorpionis percussio, iniquitatis via, ianua diaboli, genus viris noxium, mentis castae tentamentum, labes prima, viscus inevitabilis, urens ventus quum admovetur stipula ignem accendens, quia vera est Catonis sententia, 'si absque foemina mundus esset, nostra non foret sine diis conversatio.' nec omittendum est Simonidis quid esset foemina interrogati responsum, 'viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, poena cotidiana, captivitas vitae, pugna sumptuosa, bestia contubernalis, canis ornata, malum necessarium.' cum qua si quis versari volet, ut est testis Hipponactes, duos tantum habebit dies dulcissimos, nuptiarum et mortis uxoris. non mirum si flammis genus est simile, quum et apostolus inquit 'bonum est homini mulierem non tangere.'* quae unde ridiculus homo conraserit dicere non possum: similia partim leguntur in Sententiis Secundi philosophi et in Altercatione Hadriani et Epicteti.

M. HAUPT.